

» Hydruntina, Monopolitana, et aliis civitatibus, terris tam mariti-
 » mis et insulis, quam terrestribus et locis eorum ditioni obtempe-
 » rantibus ac aliis eorum bonis dicta auctoritate privamus, ita ut
 » nil ex illis transmittatur ad posteros, et ipsos sic privatos respe-
 » ctive ad illa et alia quaecumque dignitates, administrationes et
 » officia saecularia in posterum obtinenda inhabilitamus: eorum-
 » demque monitorum subditos, vassallos et feudatarios et praeser-
 » tim Paduanae, Veronensis, Vicentinae, Cremonensis, Brixensis,
 » Tarvisinae, Pergamensis, Trigistinae, Tranensis, Brundusinae,
 » Hydruntinae, Monopolitanae aliarumque civitatum, terrarum et
 » locorum etiam de facto per eos obtentorum hujusmodi cives,
 » incolas et habitatores et fortalitorum et arcium in eis degentes
 » castellanos et custodes a quorumvis fidelitatis juramentorum per
 » eos dictis monitis non parentibus praestitorum observatione, jure
 » vassallatico et subjectione absolvimus et penitus liberamus. Et ut
 » alii eorum exemplo perterriti similia non attendent, volumus et
 » de simili consilio dicta auctoritate et potestatis plenitudine de-
 » cernimus, quod Leonardus dux et alii sic moniti, excommunicati,
 » interdicti, iteratis vicibus aggravati, anathematizati, maledicti
 » et privati, et in suo pessimo proposito non parendi hujusmodi
 » monitionibus et mandatis nostris perseveraverint, ex tunc infames
 » existant, et ad testimonium non admittantur, testamenta et co-
 » dicillos condere et ad alicujus successionem ex testamento vel
 » intestato pervenire non possint: et si jurisdictionem habeant,
 » causae ad eorum examen non deducantur, nec valeant eorum
 » sententiae vel processus: nullus pro eis, nec ipsi pro aliis in
 » quacumque causa procurare possint, et si qui eorum notarii exi-
 » stant, instrumenta per eos confecta non valeant, sed cum auctore
 » damnato damnentur: eorum debitores ab his quae eis debent li-
 » berati existant: nulli eis, sed ipsi aliis super quocumque negotio
 » de jure respondere teneantur: filii quoque et nepotes aliquique
 » descendentes eorumdem usque ad quartam generationem, ecclae-
 » siis, monasteriis, canonicatibus, dignitatibus et aliis beneficiis